

permanent statu. Sic limitis alicujus definitio est catholica, quamdiu ille limes permanet in suo esse, ut loquuntur.

2 *Definitum habet nexum necessarium cum definitione.*

Necessitas
definitio-
nis, quæ
vocetur in
Scholis.

Hæc vocatur *necessitas forma*, item *definitionis*, in Scholis. Hic canon loquitur de rebus illis, quarum essentia ab immutabili Dei & naturæ ordinatione pendet: non autem de rebus, quarum essentia à mutabili hominum ordinatione pendet.

Definitum reale est perfectum, vel imperfectum.

Perfectum est, quod perfectâ definitione explicari potest.

Ejus canones sunt:

1 *Omne definitum perfectum est per se & directè in aliquo prædicamento.*

Ratio canonis est; quia perfecta definitio constat genere & differentia. Quod verò in nullo est prædicamento, non habet genus.

2 *Omne quod perfectè definitur, est species.*

Ratio canonis est manifesta ex priori; quia nimirum omne definitum requirit genus.

3 *Tot sunt species definiti perfecti, quot sunt species prædicamentorum principalium.*

Hinc definitum aliud substantiale, aliud accidentale dicitur. Addimus autem in canone, *prædicamentorum principalium*: quia res, quæ sunt in quatuor posterioribus prædicamentis, vel non sunt definibiles, vel si definiendæ sint, reducuntur ad principale aliquod tanquam mensuram minus principalis.

Definitum imperfectum est, quod imperfectâ definitione explicari potest.

Estque imperfectum vel ex parte conceptus, vel ex parte rei.

Defini-